

1317-1317- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Pampilonam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Pampilonam celebrati
 Anno Domini · M° · CCC° · XVII° ·

Confirmamus hanc constitutionem: In capitulo, de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si magistrum ordinis ante festum sancti Michaelis mori vel amoveri contigerit, addatur: vel in ipso festo. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: In ipso tantum capitulo in omnibus obtinebit, deleatur totum, quod sequitur usque ad illum locum: Si autem priorem provincialem in capitulo generali etc., et dicatur sic: donec prior eiusdem provincie sit electus et confirmatus et ipse provincialis vel ille, cui ipse vices suas commiserit, presens in provincia extiterit, ut superius est expressum, vel magister ordinis seu capitulum generale in predictis casibus aliter ordinaverit. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo De itinerantibus post illud, ubi dicitur, quod per magistrum ordinis vel provincialem suum ad huiusmodi suffragia restitu mereantur, addatur: precipimus autem in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus, conventionalibus ac eorum vicariis, quod nulli fratri electo seu postulato extra ordinem ad quamcumque dignitatem, personatum, gradum infra dignitatem episcopalem licenciam concedant huiusmodi electiones seu postulaciones acceptandi vel alio modo quolibet prosequendi; eodem precepto prohibentes, ne frater aliquis propter licenciam sibi datam contra prohibicionem huiusmodi premissas electiones seu postulaciones ullatenus per se vel per alium prosequatur. Quicumque autem in premissis secus fecerint, incurant excommunicacionis sentenciam ipso facto, quam sentenciam ferimus presenti statuto, et nichilominus omnibus graciis ordinis sint privati, ad quas restitui non valeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et hec habet · ii · capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Volumus et ordinamus, quod priores provinciales et diffinitores capitulorum provincialium ad studia generalia tales mittant, de quibus certa spes profectus quantum ad mores et scienciam possit haberi; super quo eorum conscientias oneramus. Quibus priores provinciales provideant vel provideri faciant cum effectu secundum consuetudinem laudabilem in provinciis hactenus observatam, alias de sibi appropriatis in tantumdem eis satisfacere teneantur.

Item. Ordinamus, quod in bacalareis Parisiensibus ordinarie presentandis alternacio de extraneo et intraneo inviolabiliter observetur secundum consuetudinem communiter in ordine approbatam et hactenus observatam, et super hoc nulla alia licencia expectetur.

Item. Ordinamus, quod priores provinciales in singulis provinciis ordinent cum effectu, quod omnia privilegia ordinis sub bulla vel manu publica in conventibus principalibus habeantur.

Item. Ordinamus et volumus, quod constitucio de depositis non recipiendis discrecius observetur.

Item. Volumus et ordinamus, quod in provinciis, in quibus est fratrum paucitas, priores provinciales et diffinitores provincialium capitulorum sequencium convenientem modum inveniant, per quem boni et utilles novicii ad ordinem recipi possint nec propter defectum vestium negligantur; et modum illum faciant in suis provinciis exacta diligencia observari; et quod recepti devocius informentur.

Item. Inhibemus districte prioribus provincialibus et eorum vicariis, ut in conventibus, in quibus priorum electiones imminent faciente, mutaciones vel assignaciones fratrum facere non presumant.

Item. Ordinacionem alias factam de magistris studencium in studiis generalibus et inhibicionem de causis non assumendis contra prelatos, renovamus et volumus arctius observari¹. Item. Revocamus omnes exemptions et generales licencias concessas per provinciales vel eorum vicarios fratibus quibuscumque, magistris in theologia et fratibus, qui fuerunt priores provinciales vel lectores in studiis generalibus vel diffinitores capitulorum generalium dumtaxat exceptis. Ipsos autem priores provinciales et eorum vicarios admonemus, ne de cetero sint faciles ad huiusmodi gracias concedendas. Caveant fratres, ne ad Romanam curiam pro quocumque negocio vadant, cum super hoc extet preceptum reverendi patris magistri ordinis nullatenus revocatum. Concedimus tamen prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis suarum provinciarum ad eamdem curiam possint mittere duos fratres.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Tholosane provincie,
 Anglie, provincie regni Sicilie et Grecie.

Item. Priorem conventualem Tolentinum.

Item. Absolvimus in penam priorem Nove civitatis de provincia Theutonie, quia irreverenter se habuit ad diffinitorem Ungarie venientem ad capitulum generale.

Volumus autem et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia isto anno nullatenus assumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

¹ Cf. supra pag. 80 l. 34 sqq.; et pag. 63 l. 1 sqq.

Pro sanctissimo patre domino nostro domino Iohanne summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos · iii · missas.

Et ordinamus, quod quilibet conventus provideat de uno hebdomadario singulis septimanis, qui pro eodem celebrare singulis diebus teneatur.

Item. Pro domina Clemencia regina Francie quil. sacerdos · i · mis.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis domino Hostiensi ac Velletriensi episcopo², domino Nicholao tituli s. Eusebii³ ac domino Wilhelmo Petri tit. s. Cecilie, presbyteris cardinalibus⁴, quilibet sacerdos · iii · missas. Item. Pro dominis patriarchis ac dominis archiepiscopis Bituricensi⁵ etc.

Summa missarum pro vivis · xlvi · et quilibet conventus tres.

Suffragia pro mortuis.

Pro domino Ludovico rege Francie quilibet sacerdos · iii · missas. Summa missarum pro defunctis · xii · Denunciamus fratibus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Petro de Prato, priore sancte Marie supra Minervam de Roma et socio prioris provincialis Romane provincie, qui mortuus est in via de capitulo anni preteriti redeundo.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos penitencie cum letania, et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania in adventu et quadragesima et profestis diebus intus et extra more solito dicatur.

Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in quilibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis, et de beato Petro martyre ad minus semel infra quindenam sollempniter celebretur.

Studio Neapolitano assignamus fr. Iohannem Neapolitanum magistrum in theologia⁶ pro lectore, et committimus sibi, quod hoc anno eidem studio provideat de cursore.

Item. Ordinamus et volumus, quod bacalareus, qui primus incipiet in theologia Parisius, incipiat sub fr. Petro de Palude magistro in theologia⁷, et illi dictus fr. Petrus in cathedra cedere teneatur.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fr. Raymundum Bequini⁸ de provincia Tholosana.

Item. Committimus prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitori capitulo provincialium huius anni in provinciis, in quibus sunt studia generalia, quod eisdem studiis provideant de cursoribus isto anno. Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Sentencias iudicium approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Viennam in provincia Theutonie ei ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capitulo ante feriam · viam · vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capitulo cum intencione veniendi ad capitalum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et eorum socii in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipientur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Notum facimus fratibus universis, quod venerabilis pater magister ordinis obtinuit a sanctissimo patre domino Iohanne summo pontifice privilegia infrascripta.

Innovavit mare magnum domini Benedicti.

Item. Concessit, quod magister ordinis possit, ubi voluerit recipere · xx · conventus.

Item. Quod possit dispensare cum trecentis fratibus defectum natalium pacientibus, eciamsi parentes habuerint infra sacros.

Item. Concessit, quod nullus nisi solus magister ordinis et provinciales et non vicarii electis in episcopos vel supra dare valeant licenciam acceptandi.

Item. Quod nullus nisi papa possit dare licenciam acceptandi episcopatum, non habentem subditum christianum populum atque clerum.

Item. Concessit, quod nullus de ordine fratrem licenciare vel expellere valeat, nisi solus magister ordinis et provinciales.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXIX.

² De fr. Nicolao cf. supra pag. 94 l. 20.

³ De fr. Nicolao cf. ibid

⁴ De fr. Guilelmo cf. ibid. l. 21.

⁵ Raynaldo de la Porte; cf. EUBEL l.c. pag. 142.

⁶ De fr. Ioanne Neapolitano cf. SSOP. I. pag. 567; DENIFLE. Chartularium II. pagg. 203, 275

⁷ De fr. Petro de Palude cf. SSOP. I. pag. 603; DENIFLE l.c. indicem.

⁸ De fr. Raymundo Bequini cf. SSOP. I. pag. 561; DENIFLE l.c. pag. 204